

SANCTISSIMVS D. N. CLEMENS diuina prouidentia Papa VIII. per suas literas in forma Breuis die viij. Nouembris 1603. Pontificatus sui anno xij. datas ex huius sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium negotijs, ac Consultationibus Episcoporum, ac Regularium præpositæ voto quāplurima Missarum onera ab Ecclesijs Monasteriorum Monialium totius Italiæ, & prȩsertim Galliæ Cisalpinæ, sub cura, & regimine Fratrum Minorũ de obseruantia existentium in Ecclesias eorumdem Fratrum Apostolica sua auctoritate transtulit, necnon certum numerum Missarum in singulis eorumdem Monasteriorum Ecclesijs celebrandum præscripsit, præcipiens sub priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæq; inhabilitatis pœna, ne quis ex dictis fratribus ad prædicta Monialium Monasteria prӕterquam ad celebrandas Missas prædictas de superiorum licentia & in diebus Festiuitatum Monasteriorum huiusmodi, vel tempore receptionis, & professionis nouitiarum, siue obitus alicuius Monialis pro funere, & officio, vt moris est, peragendo, vllo modo accedere auderet, quemadmodum in eisdem literis plenius continetur. Cum verò vti Superiores eiusdem ordinis eidem Congregationi nupèr exposuerunt in eisdem Ecclesijs Monialium existant nonnullȩ sepulturæ, & Capellæ, in quibus defuncti sepeliri solent, & ex testatorum voluntate anniuersaria, & exequiæ in die obitus, & per totam octauam celebrari consueuerunt, atq; in posterum eiusmodi sepulturæ, & Capellæ ex piorum legatis cum pari onere extrui possint, opusq; esse propterea videatur ipsos fratres ad ea pietatis officia præstāda ad dicta Monasteria accedere, & conuenire, eadem sacra Congregatio facto verbo cum eodem S. D. N. & de expresso ordine Suȩ Sanctitatis declarauit & declarat eosdem Fratres, quando defunctorum corpora ad Ecclesias earumdem Monialium deferri, & exequias, aut anniuersaria officia pro ijs, & Missas etiam per octauas celebrari contingit ad easdem Monialium Ecclesias & Monasteria de ipsorum superiorum licentia licitè, & absq; pœnæ alicuius incursu accedere posse, dumtamen ea occasione tum tēporis cum ipsis Monialibus non colloquantur. Firmis ceteroqui, & in suo robore permanentibus, quæ in dictis literis in forma Breuis statuta, & ordinata sunt. Romæ die 9. Augusti M. D C I V.

Alex. Card. Flor.

locus † sigilli.

Berlingerius Gypsius Secret.

ROMAE, Ex Typographia Cameræ Apostolicæ. M. D C I V.